

principis, optimi Præceptoris, *Seneca de benef. lib. 4. c. 10.* Depositum reddere inqvientis, per se res expetenda est; non tamen semper reddam nec quolibet tempore; aliquando nihil interest, utrum inficier, an palàm reddam, intuebor utilitatem ejus, cui redditurus sum & nociturum illi depositum negabo. Hunc locum illustrat egregiè Eloqvientiæ Romanæ ille Parens Cicero *lib. 3. de offic. n. 25.* Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat infaniens, reddere peccatum fit, non reddere officium. Porro inqvit, quid si is qui apud te pecuniam deposuerit, bellum infert patriæ, reddasne depositum? Non credo, facies enim contra Remp. quæ debet esse charissima. Sic multa, quæ jam honesta & utilia videntur esse, temporibus & circumstantiis accuratè inter se collatis, fiunt inhonesta & inutilia, id quod Gentium ille Doctor Paulus *1. Cor. 10. v. 23. & C. ibid. 6. 12.* iisdem fermè verbis expressit. Πάντα μοι ἔξεσιν ἀλλ' ὃ πάντα συμφέρει. Et idem *Syracides cap. 37. v. 31.* ὃ γὰρ τὰ πάντα πᾶσι συμφέρει καὶ ὃ πᾶσα ψυχὴ ἐν πάντι εὐδοκίμει. Huc etiam facere videtur, quod Paulus JurisConsultus ex lumine naturæ *in l. 144. ff. de R. J.* tradit non omne, inqvies, quod licet, honestum est *Vid Gottofr. in nott. ad h. t. n. 46.*

Th. 9.

Suprà fuit depositum descriptum, quod fit negotium B. F. & à depositario veniat reddendum, quod fuit traditum, jam quaestio sub manu nascitur nova, an etiam illud, quod deposito accedit, restituendum sit? Ratio dubitandi quod non, sumi potest ex *l. 1. §. 5. ff. h. t.* quia quæ depositis rebus accedunt non sunt nec erunt deposita. E. per consequens non restituenda. Verùm ratio decidendi nititur bonâ fide, quæ ut in omnibus quidem, potissimùm & principalitèr tamen in hoc contractu obtinet, si itaque v. c. equa deposita prægnans facta fuerit, hinculumq; interea excluderit, bona fides exigit, ut deponenti depositum reposcenti equa unâ cum hinculô restituatur, cum accessorium per naturam sequatur suum principale. Eadem quoque ratio in ancilla deposita militat, quæ peperit apud Depositarium, hæc enim unâ cum partu, qui est causa & quasi fructus, debet restitui *l. 1. §. 24. ff. de-*